



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. j



9

I. N. J.
DISPUTATIO IX.
SELECTARUM
THESIUM
JURIS CERTI & CON-
TROVERSI

Ex Tit. j. Quib. non est perm. fa. test. d. Ex-
hered. Lib. d. Hered. instit. d. vulg. Subst. d. pup.
Subst. usque Titulis π. C. J. Th: βασιλικ.
& ῥ. respondentibus.

Quam
PRÆSIDE
JOHANNNE CHRISTO-
PHORO Volk/

J. U. D. & P. P.
JACOBUS FORSTERUS,

Hollandiâ - Prusius.
RESPONDENS
publicè defendet

IN AUDITORIO MAJORI
A. clb. lbc. LXXXI.

REGIOMONTI.
PRÆLO REUSNERIANO.

PER-ILLUSTRI MAGNIFICO &
GENEROSISSIMO
DOMINO
DN. AHASVERO
à LEHNDORF,
SUPREMO per Prusiam Mareschallo,
Generali Militiæ Legato, & Equiti Ordinis
S. Johannis,

Hæreditario Domino in Steinorth/ Zaberlack/ etc.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

*Tua dabis benignitati Illustris & Per-magnifice Mareschalle,
quod audacia mea tribuendū videtur. Fulcrum
Patriæ es, ara es ad quam vidua orphaniq; con-
fugiunt; inde benevolentia tuâ fulcitus, exer-
citium hoc Academicum Tuæ offero ara, devo-
tissimaq; mente Sacrifico. Ignoscat Illustris Gene-
rositas quod inter tot humiles Tuarum Virtutū
Veneratores comparere, presentiq; tenui & pau-
pertino subjectisimi animi documento saluta-
re querere patrociniū non erubuerim. Va-
le precor, & patere ut sim, quoad vixero*

AHASVERUS
à LEHNDORF,
SUPREMI
MARESCHAL-
LUS.

per anagr.
En! Fulcrum es
Prussorum, ara es
Salva^dales.
t

Illustris Generositatis T.

humillimus

cliens

JACOBUS FORSTERUS,

Holl: Pr:



Titulis j. *Qui Testam. fa. poss. d. Exhered. Lib. d. H. j. d. V. S. d. P. S. respondent in π. Lib. 28. T. 1. 2. 6. 7. in C. Just. Lib. VI. Tit. 22. 24. 25. 26. 28. 29. in C. Theod. Lib. VI. T. 4. in βασιλ. Lib. 35. Tit. 1. 3. 8. 9. 10. 12. 13. 19. in ῥ. Lib. 3. Tit. 26.*

II. Continentur in his Titulis (1.) *Personæ* quæ testari possunt, vel non, ob defectum animi vel corporis vel ob prohibitionem Juris Civilis *t. t. j. Quib. non est perm. fa. Testam. t. t. π. Qui Testam. fa. poss. t. t. C. Just. eod. t. t. βασιλ. d. Testam. & Testatoribus & qui testari non poss. c. 1. ῥ. d. Testam. (2.) Modus* testandi ipsam testamenti substantiam concernens scil. institutionem necessariam vel voluntariam & quidem aut *primi heredis t. t. j. d. Exhered. Lib. t. t. π. d. Lib. & posth. her. t. t. C. J. d. Lib. prat. & Exhered. d. posth. her. inst. t. t. j. d. H. I. t. t. π. d. Cond. Instit. t. t. C. j. d. H. I & qu. pers. hered. inst. non poss. l. 5. §. 1. C. Th. d. Testam. t. t. βασιλ. d. Lib. & Posth. d. Instit. & Substit. d. Inst. subcond. fact. d. Institutis & Substitut. Quemadm. heres substit. in poss. mitt. c. 9. 12. ῥ. d. Testam. c. 2. 7. ῥ. eod. aut secundi heredis in locum deficientis factam t. t. j. d. Vulg. Substit. d. pupill. Substit. t. t. π. d. Vulg. & Pup. Subst. t. t. C. I. d. Impub. & al. subst. d. Instit. & Substit. & Restit. sub cond. fact. t. t. βασιλ. d. Substit.*

III. Quædam personæ communi omnium hominum jure quædam vero Jure Civili & proprio Romanarum Legum, testari prohibentur. Naturali ex ratione prohibentur testari vel ob defectum animi vel corporis. Defectus animi vel convenit omni homini *ratione ætatis*, quæ judicio destituitur qualis est infantia & pupillaris ætas ad annos pubertatis usque *§. 1. j. Quib. non est perm. fa. Test. l. 5. 19. π. Qu. Testam. fa. p. l. 1. §. 1. d. Tut. & rat. distrab. Jur. Prut. tardius quis attingit pubertatis terminum testandique facultatem Lib. 5. T. 1. A. 1. §. 4. vel casu fortuito huic vel illi obvenit ut si quis furore affectus vel demens sit §. quâ ratione j. d. pup. Subst. §. 1. j. Quib. non est perm. fa. Testam. l. 17. 18. π. Q. Testam. fac. poss. l. 2. π. d. Inoff. Testam. J. Prut. Prov. L. 5. T. 1. A. 1. §. 6. Et hæc testandi prohibitio non Lege vel moribus sed ipsa natura introducta, ut neq; Lege neq; Privile-*

Privilegio aliter statui queat. Nullius enim Legislatoris in potestate est, ut is testetur in quò nulla est mentis & Voluntatis testatio. Cum vero natura causam sustineat, ut femina & augeatur & crescat, & adulta perficiatur antequam masculus *Plutarch. in Problem.* ideo Romani non tantum feminis citius nempe octavo, masculis vero tardius nempe nono die, qui lustricus dicebatur, nomina imponebant, sed pupillari quoque ætati breviorum terminum præfigebant citius quoque Testamenta condere poterant, quod confirmat etiam J.P. *d. L. 5. T. 1. A. 1. §. 4.* Similis habetur furioso prodigus quia furiosum bonorum exitum quærit, & talis præsumitur esse circa obitum qualis in dissipatione patrimonii superstes fuit §. 2. j. *Quib. non est perm. fa. Testam. Jur. Prut. Pro. lib. 5. T. 1. A. 1. §. 7.* Ob defectum corporis testari prohibentur si talis sit, qui impedit instrumenta illa, quibus mens & voluntas explicatur. Instrumenta illa sunt aures lingua & oculi, quibus qui carent testari nequeunt §. 3. & seq. j. *Quib. non est perm. fac. Test;* nisi is defectus aliunde suppleatur *l. 8. 10. C. Qu. Testam. fa. poss.*

IV. Ex ratione Civili ob conditionem personæ testari prohibentur (1.) Servi, quia Juris Civilis communione destituuntur *l. 20. §. 7. π. Qui Testam. fa. poss l. 32. π. d. R. I.* imo cum omnia quæ acquirunt Dominis acquirant nîl ipsis superest de quò testari possint. (2.) Filiisfam. quia Lex Patribusfam. non v. filiisfam. dedit testandi facultatem ne quidem permittente patre *pr. j. Quib. non est perm. fa. Testam:* Dedit tamen in castrensibus & quasi patre etiam non permittente, quia horum respectu pro patribusfam. habentur *d. pr. j. l. 6. π. d. Injust. rup. & Irr. Testam.* (3.) Peregrini & Cives Romani ab hostibus capti quia per captivitatem personæ vitium infertur §. *Si ab hostibus j. Quib. mod. J. P. P. solv. §. fin. j. quib. non est perm. fa. Testam.* Quod si tamen ante captivitatem Testamentum aliquod legitime fecerint, siquidem redierint valet jure postliminii quod fingit eos semper in Civitate fuisse §. 5. j. *Quib. mo. J. P. P. Solv.* si vero non redierint ex L. Cornelia quæ fingit eos primo captivitatis momento decessisse Civ. Rom. *l. 12. π. qui Test: fa. p. l. 18. π. d. Capt. & postl. rev:* (4.) Obsides *l. n. π. Qu. Testam. f. p.* quia illis quibus deduntur pro mancipiis sunt. It: Incerti de statu suo vel de eò dubitantes an Servi an ingenui sint *l. de statu 15. π. Qu. Test. fa. po.*
(5.) Mulie-

(5.) Mulieres sine autoritate & consensu Tutoris *Ulp. 1. 20.* præsertim si per farreationem vel coëmptionem in Virorum familias venissent filiisfam. æquales erant *Gell. 1. 18. c. 6.* Ideo Cicero in *Top. cum mulier viro in manum convenit omnia quæ mulieris sunt Viri sunt Dotis nomine*; Ratio pendet à nexu arduissimò familiaris atqve æconomice Societatis; qui tantus est, ut & familia una quædam universitas sit, & ejusdem una utilitas, ita ut quicquid vel activè vel passivè attingat aliquam familiæ personam, id ipsum omnes personas attingere censeatur, inter quos paterf. qs. princeps & caput est *l. familie 196. d. V. S.* Feminae quæ 12. annum compleverant auctore tutore tantum Testamenta faciebant, quia olim sub perpetua tutelâ erant *Ulp. Tit. 11. in pr. Boët. in 2. Top. Cic. nec majus vel pingvius jus obtinere farre aut mancipatione è tutelâ exeuntes, cum eò modò in aliam potestatem transeant, quod patet ex Oratione Catonis apud Liv. Lib. IV: Majores inquit nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse parentum fratrum Virorum. Quod etiam de Atticis mulieribus annotavit Budeus in Commentariis Græc. Ling.* (6.) Incestas contrahens Nuptias *l. Si quis incest. 6. c. Auth. seq. C. d. Incest. Nup.* (7.) Mulier quæ nõ attentò annò luctus infamis reddita est neq; tutore vel Curatore auctore admittitur *l. 1. l. liberorum π. d. His qv. no. inf.* (8.) Reus criminis læsæ Maj: *l. 9. l. fin. π. & l. 5. & seqq. C. Ad L. Jul. Maj. Tacit. l. 3. Ann.* (9.) Usurarius manifestus *c. 2. d. Usur. in VI.* (10.) Hæretici eorumq; receptores *l. 4. pr. C. d. Hæret: l. 1. π. d. Receptat:* (11.) Capitis damnati quia bona eorum publicabantur *l. 8. §. f. π. Qu. Testam. fa. poss.* Sed hodie damnatorum non fiunt lucro iudicibus, aut eorum officiis neqve bona indistinctè confiscantur sed descendentes vel ascendentes ad tertium gradum cedunt *N. 134. c. ult. non collateralibus juxta Auth. bona damn. C. d. bon. proscript:* quam corruptam esse, constat ex *N. 134. c. ult. Fachin. J. controu. 35. Bachov. ad Treutl. D. 31. θ. 7. lit. B. Rittersh. ad Nov. part. 13. c. 4. Ludw. ad j. Ex. ult. θ. 3. lit. B.* (12.) Ex ratione Juris Canonici. Clerici de redditibus Ecclesiæ, qui ministris Ecclesiasticis, saltem ad sustentationem & necessaria alimenta debentur, quatenus eis ad vitium vestitum cæterosq; usus necessarios aut congruos sufficiunt *c. f. q. 1. & in c. videntes ead. q. & in pr. 44. dist.* Tibi ò Sacerdos inquit Hieronymus vivere de altari permittitur non luxuriari. Et



D. Bernard. epist. 2. Deniq; quicquid præter necessarium victum & simplicem vestitum retines, tuum non est, rapina est sacrilegium est. Idem epist. 42. Clamant inquit pauperes; Nostrum est quod effunditis, Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. In hoc tamen casu Dispensatio Pontificis locum habet. Covarr. d. Testam. c. 7. n. 20. (13.) Abbatisa, licet habitum monasticum non acceperit c. 2. §. d. Test. & Covarr. add. c.

V. Parentes liberos necessario, heredes instituere vel expresse exheredare tenentur, quia eis hereditas debetur naturæ quodam ordine & ipsorum parentum voto *l. scripto 7. in f. Und. Lib. Longob. 2. Tit. 14. l. 12. 23.* quibus parentes optant ut sint superstites sicut *Cicero de Nat. Deor. ait: hinc primum supersticiosos dictos, qui totos precabantur dies, & immolabant, ut liberi superstites essent. Sed jure veteri varia fuit differentia inter masculos & feminas, suos & emancipatos, jam natos & posthumos, naturales & adoptivos pr. §. 2. 3. & 4. j. d. Exher. Lib: Sed Justin. sublatô maximâ ex parte hoc discrimine constituit ut etiam causa exheredationis Testamento inferatur & ab herede probetur, quod nisi factum Testamentum inutile est, nec ullum liberis præjudicium generat *N. 115. c. 3. quam Wisigoth. Lib. 4. Tit. 5. l. 1. secuta est, dicens: Exheredare autem filios sive Nepotes illicitum parentibus erit. Num vero ex causa quadam à Justiniano non expressa fieri possit Exheredatio? quod de causa simili vel majore affirmari potest, æquipollentium enim est eadem disciplina Eberhard. in loc. Top. ab æquipollent. Auth. Matth. in not. ad Tit. j. d. inoffic. Testam. Ab hac tamen opinione recedit Vigl. in §. f. n. 8. ad j. d. Exhered. Lib. dicens: quid enim erat opus enumeratione, aut cur queritur Imperator ab antiquis graviores causas fuisse prætermisissas, si hic licita est extensio aut in quò veterum altercatio sublata est, si adhuc alias licet adsumere. Sed ad hæc datur facilis responsio, ideo fuisse enumeratione opus, ut similes vel dissimiles causæ cognosci queant *ex d. Novellâ, ad quam tanquam ad Lydium lapidem omnes reliquæ causæ examinari debent Ungep. Ex. 8. q. 7. ut si enumeratis similes non fuerint, Testamentum quoad institutionem corruat, non vero quoad legata & reliqua d. N. 115. Cap. 3. Auth. ex causâ C. d. Lib. præterit: Bronch. cent. 3. ass. 29. Disf. Don. l. 6. Comm. cap. 12. Aliam necessitatis rationem esse apparet quæ parentum***

rentum institutionem vult esse necessariam, quod fit turbato mortalitatis ordine *l. 7. in f. Und: Lib: quò casu parentes aut necessariò instituendi, aut causa adjecta nominatim exheredandi sunt N. 115. c. 4.*

VI. Heredes institui possunt extranei etiam incerti *§. 27. j. d. Leg. & ignoti §. ult. j. d. H. I. l. 1. C. eod.* est enim in eo libera potestas statuendi testatori, ut tam extraneos quam collaterales plures numero instituere liceat heredes, ridicula tamen foret institutio quã quis omnes homines in universo orbe pro heredibus denominaret. *Bachov. in vol. 2. Disp. ad Treutl. n. 8. 2. lit. D.* Ratione hujus pluralitatis, hereditas tanquam totum, cujus certæ sunt partes à Jctis consideratur. Totum dicitur as, cujus duodecim, sunt partes quæ referuntur in *§. hereditas j. d. H. I. l. Servum 50. §. ult. D. eod:* quarum quædam numerum totius, quædam numerum unciarum significant, in his sextans non significat sex uncias sed sextam partem totius assis i. e. duas uncias, quadrans non significat quatuor uncias sed quartam partem totius assis i. e. tres uncias, & sic se habet etiam in triente. At quincunx ita appellatur, & tamen non significat quintam assis partem sed significat quinque uncias. Septunx septem uncias, dextans decem uncias, quatuor sunt quæ numerum partium totius sextans quadrans triens semis cætera numerum unciarum significant *Don. L. 6. c. 20.* Institui Servus proprius potest sine libertate quia verisimile est tum testatorem de libertate sensisse, in qua sententia Attilianum Proculi auditorem *l. Attiliano π. d. pact. dot.* fuisse citat Paulus in annotationibus ad Commentaria Masurii Sabini & Plautii, quam interpretationem, quæ suffragatur ultimæ Voluntati & favet libertati Imperator approbavit, idem statuit quoad institutionem de Servis alienis *pr. j. d. H. I.* Liberi possunt institui si non sint improbi & intestabiles *l. cum lege 26. π. Qui Test. fa. poss. vel filii eorum qui læsæ Maj. rei sunt l. quisquis §. filii C. ad L. Jul. Maj. aut Deportati & peregrini l. 1. C. d. H. I.*

VII. Institutio ita est facienda ut de voluntate testantis & certo consilio satis constet, inde institutio in alterius arbitrium collata non valet *l. 32. π. d. H. I.* à quâ differt captatoria institutio, cujus conditio confertur ad secretum alienæ voluntatis *l. 70. π. eod:* cujus hæc est formula: *Qua ex parte Titius me heredem instituerit, ex eâ parte Mibi heres esto l. 1. π. d. bis qu. pro non script. hab: Constant.*

Harme-

Harmenop. l. 5. t. 8. Tendit siquidem hæc institutio ad deceptionem alterius, ita ut secutâ heredis institutione ab altero facta, captiosus & fallax testator propriam voluntatem omnino mutet; & ideò idem erit, si conditio tendat ad alicujus extranei institutionem, aut legatum, veluti si dixerit: *Titius, si Mævium heredem instituerit, meus heres esto l. illæ π. d. H. I.* Atq̄ve ita sunt explicanda verba *l. captatorias 70. d. H. I.* dicentis: *eas esse captatorias institutiones, quarum conditio confertur in secretum alienæ voluntatis*, ut intelligamus secretum alienæ voluntatis, non voluntatem alicujus simplicem & liberam, sed testamentum, hoc siquidem decretum voluntatis appellatur *in l. 3. C. d. Codicill.* Unde apparet non esse captatoriam voluntatem, si institutio ita concepta, ut in alienum simplex arbitrium conferatur his verbis: *Instituo Titium heredem si Mævius voluerit, aut instituo illum heredem quem Sempronius*; Non est captatoria, licet ex veterum sententia sit vitiosa *l. illa institutio π. d. H. I.* Nec est captatoria in qua duo se invicem heredes instituunt, quia captatoriæ institutiones non sunt quæ mutuis affectionibus judicia provocarunt *d. l. 70. Covarr. d. Testam. c. 13.*

VIII. Heres præcisè exequi tenetur voluntatem defuncti si ea legibus fuerit conformis, illegitimæ vero voluntati hæres impunè non paret, cum Nemo præcavere queat, ne leges in suo testamento habeant locum *l. 55. π. d. Leg. I.* si enim aliquid committit præcipiendo hæredi quod jus ipsi remittit, id etiam hæres impunè omittit *Cujac. ad Nov. 1.* Sic conditio jurisjurandi, si Testator hæredi aliquid reliquerit sub hac conditione *si juraverit* præ non adjectâ habetur, & hæres nihilominus capit quod sibi relictum est *l. 8. que sub conditione in pr. π. d. Condit. inst.* quia nonnulli homines faciles sunt ad jurandum contemptu Religionis alii perquam timidi metu divini Numinis usq̄; ad superstitionem (2.) *Conditio viduitatis l. 63. cum ita § l. 74. mulieri π. d. Cond. & Dem. l. 2. § 3. d. ind. vid. toll.* (3.) *Conditio divortii l. 5. C. d. inst. & Substit.* (4.) omnes conditiones quæ in fraudem legum aliquid cavent *l. 27. Ad. L. Falcid. Rittersh. in Expos. meth. p. 6. c. 6.* Aliæ vero conditiones possibiles sive potestativæ sive casuales sive mixtæ si extraneo heredi ascriptæ fuerint suspendunt institutionem *Gome: to. 1. c. 2. n. 12. § 13. Sutholt. ad j. Disf. 8. θ. 25.*

IX. Pro-

IX. Progredimur ad Substitutionum materiam tempore Baldi, qui 15000. Ducatos ex eâ lucratus est, magis quam hodie Patronis causarum fructuosa, in quâ multæ dubiæ sunt interpretum opiniones, sæpe etiam imperiti tabelliones, qui Substitutionem alteram ab alterâ & verba civilia à precariis distingvere nesciunt, litigandi materiam præbent. A Doctoribus quoque quibusdam multæ inanes subtilitates nectuntur circa definitionem quas Viglius ad Rub. j. d. Vulg. Substit. ferre nequit dicens: *Quæso enim te ad quid facit longa & fastidiosa Disputatio de definitione Substitutionis. Cur non potius ad veterum Jurisconsultorum exemplum nostras informamus interpretationes, illos sane nusquam in definitionibus adeo ineptos fuisse constat. Et præterquam quod inamæna est ista Disputatio, fructu quoque penitus caret præsertim cum reipsâ quid sit Substitutio minimè ignoretur, ac propterea Justin: exemplo eam statim declaravit in pr. j. d. V. S. multo quidem apertius quàm si generis & differentie positione altercandi ansam contentiosis Sophistis præbuisset.* De singulis tamen tum de nominis tum de rei definitione brevissimis dicendum: Nomen Substitutionis in latâ significatione suppositionem & surrogationem continet, ac idem quod est submittere in locum alterius §. 39. d. R. D. inde dicimus substituere arbores vites pecora iudices Procuratores Tutores l. 18. l. 59. l. 69. π. d. Usufr. §. 39. d. R. D. l. pen. π. Jud. Solv. l. 39. §. 11. π. d. Admin. & per. Tur In strictâ vero significatione Substitutio prò tali suppositione accipitur quæ fit in ultimâ Voluntate in quâ heredes aliis submituntur l. 20. §. ult. π. d. Cond. just: l. 43. §. 2. ver. nihil autem d. Vulg. & pub. Subst: quia fit sub institutione vel quia substitutus subjungitur & subtus hoc est in imâ cerâ scribitur vel in spem secundam adsumitur. Ita Svetonius de Julio Cæsare c. 83. dicit: *reliquos in imâ cerâ & Tacitus lib. 1. Ann: de Augusto: in spem secundam Nepotes sibi heredes scripsisse.* Est enim substitutio unius vel plurium in locum alterius ad aliquam rem in testamento codicillis aliâve ultimâ Voluntate facta designatio. Accursius non aliud Substitutionem esse putat quàm secundam institutionem in Rub: π. d. Vulg: & pup: Subst. Hancq; definitionem Viglius ad Rub: j. d. Vulg. Subst. defendit, quia ei consentit T. Cajus post. lib. j. quibus non obstat aliquem etiam tertio gradu institui posse. Sicut Tacit. d. l. ait: *Tertio gradu primores*

B

Civita-

Civitatis scripserat plerosq; invisos sibi, sed jactantia gloriaq; ad posteros l. 1. π. d. Vulg. Subst: Nec obstat in Legatis & Donationibus mortis causâ substitutioni locum esse *l. ut Heredibus l. Titia §. Seja π. d. Leg: II.* quia substitutus in tertio gradu non habetur tamdiu prò substituto quamdiu substitutus in secundo gradu non habetur prò instituto. Præterea substitutio in aliis materiis laxè non strictè accipitur, unde si quædam in contrarium adferuntur ex eodem & non alio Substitutionis genere adferenda sunt.

X. Variæ Substitutionum occurrunt equidem divisiones in vulgarem pupillarem exemplarem compendiosam & breviloquam. Breviloqua tamen seu reciproca species separata non est, sed qualitas quædam & adjectio cæterarum specierum §. 1. j. d. V. & P. S. l. 4. §. 1. & 2. l. 36. §. 1. π. d. *Mynsing. ad d. §. 1. Ludw. ad j. Diss. 8. 0. 3. lit. P.* Vulgaris dicitur quia est ordinaria communis maximè usitata quodq; cuivis heredi & à quovis testatore testamenti factionem activam habente fieri potest, hinc legimus vulgare pactum *l. Bebius 30. π. d. pact: dot:* & vulgaris mulier est quæ vulgato corpore est *l. 13. §. 1. π. Ad L. Jul. d. Adult:* Sic vulgaria nomina pro usitatis accipiuntur *l. 2. π. d. præscr. verb:* Ideo ait Viglius hanc Substitutionem nîl speciale habere, sed eam à quocunq; de quocunq; & in quemcunq;ve concipi posse. Et quemadmodum nulla admittitur differentia inter personas substituentes, sic nec inter personas distinguendum, quibus substitutio fit, ut adeo perinde sit an paterf. an filiusfam.? utrum pubes an impubes? utrum suus an extraneus *l. 1. §. 2. d. V. & P. S.* utrum liber an Servus? etsi servus, an proprius an alienus? *l. 3. l. 36. d. t.* Vulgaris ex communi quorundam commento sub dividitur in expressam tacitam & mixtam, sed uti dichotomia semper præferenda est, ita rectius à communi substituendi modo in simplicem & duplicem distinguitur. Simplex quæ & mera dicitur ea est, quæ solum acquisitæ hereditatis casum seu eventum comprehendit Estq; vel expressa quæ expressis verbis fit: *Sejus heres esto, si Sejus non erit Cajus heres esto. Cajus heres esto, etsi Cajus non vult vel non potest heres esse, Sejus heres esto. Titius heres esto, si Titius præmoriatur vel deportetur Cajus heres esto.* Vel tacita quæ ex mente verborum Testatoris intelligitur & hæc vel inest institutioni *Titius & Sejus uterq; eorum vivet heres esto.* vel inest
substi-

Substitutioni Titius & Sempronius heredes sunt, si Titius heres non erit Sempronius heres esto, si Sempronius heres non erit Cajus heres esto, vel inest ordini magis quam scripturae cuius exemplum in l. f. C. d. H. I. Substitutio vulgaris duplex vulgari pupillaris appellatur, quae praeter casum non acquisitae hereditatis alium adhuc casum seu eventum quamvis tacite saltem comprehendit l. 24. π. d. H. I.

XI. Pupillaris Substitutio dicitur quia non cuivis sed saltem pupillari sit aetati, pupilli nomen descendere videtur à puppis quae erant imagines puellarum forma & amictu conspicuae quae huic pupillari aetati maximè sunt in deliciis, inde olim vocarunt puppum puerum & puppam puellam *Persius Satyr. 2.* Ideo fit haec substitutio à Parentibus liberis impuberibus & in potestate existentibus in eum casum si heredes erunt & intra pubertatem deceserint. Non potest igitur mater liberis pupillariter substituere *arg. §. 10. & l. 2. pr. π. d. V. & Pupill. Subst.* nec Pater liberis emancipatis, nec post mortem patris in alterius potestatem recasuris *d. l. 2. pr.* quippe vi patriae potestatis non tantum pater naturalis sed & adoptivus si persona conjuncta fuerit *§. 1. j. d. Adopt: §. 14. j. d. Her. ab Intest:* ac arrogator de bonis quae occasione arrogationis ad arrogatum pervenerunt *l. 22. §. 1. π. de. Adopt.* rectè filiis suis impuberibus testamenta condunt & substituunt, mater vero omnipotestate in liberos privata meritò jure quoque substituendi pupillariter privata esse censetur nec nisi ex speciali ratione conceditur *l. 9. C. b. t. Bronch. cent. 3. ass. 35. Disf. Riemer 6. q. 6. per l. 33. π. d. V. & P. S.* in qua lege matri quidem datur facultas substituendi sed non pupillariter. Ad pupillarem siquidem Substitutionem requiritur permissio Legis, sic Romuli Legibus quae summam parentibus potestatem, quantam nulla gens habuit alia, concesserant, permissum non erat filiis impuberibus substituere ante morem substituendi receptum *l. 2. π. d. V. & P. S.* Ubi moribus ea inventa dicitur non alterius Gentis sed populi Romani ex prudentum interpretatione contra L. XII. Tabb: *l. 32. pr. π. d. H. I.* Sed malè ex dictis infert Cyprianus Regnerus in Censura Belona ad *L. 2. π. d. V. P. Subst.* quia isti mores revera bonis moribus repugnant, ideo moribus Belgii substitutio pupillaris abrogata est, absurdum namque est, & contra jus Naturae ut aliquis disponat de bonis alterius. Nullatenus enim bonis moribus & I. N. repugnat hic mos,
B 2 quia

quia hujusmodi substituendi jus ob favorem pupillorum, ut ii insidias evitarent heredum ab intestato venientium, quis enim in imâcerâ heres scriptus erat? omnes excepto testatore, latebat, imo ipsum heredem latebat, ut adeo nîl mali metui, sed per eum pessimorum heredum ab intestatô astus opprimi vitaq; impuberis conservari poterit *Menoch. l. 4. pres. 39. n. 13. & 14.* Cum vero hic mos ab Intestatô succedentium insidiis occurrat, non potest dici repugnare bonis moribus & I. N. Est quidem contra rationem Juris Civilis, quod noluit ultimas voluntates dependere ex alterius arbitrio, sed non contra rationem I. N. quæ tollendo insidiarum metum efficiebat ut hereditas ad eos perveniret, ad quos pervenire, impuberi expediebat. Ex hoc itaq; fonte prædictus mos fluxit non vero ex consuetudine Spartanorum, quia Spartani non Legibus sed moribus regebantur; quamvis *Plat. lib. II. d. Legib:* pupillaris Substitutionis mentionem faciat, sic enim sequeretur quod omne jus consuetudinarium à Spartanis derivaretur. Sic P. P. in cujus consequentiam pupillaris Substitutio admisa est moribus introducta. Sic in *l. i. C. d. Cur. Fur:* dicitur moribus prius introductam interdictionem prodigo factam ne bona sua administret, quæ in XII. Tabb. deinde relata est *Bachov. ad Treutl. Diss. II. §. 8. Lit. A. Donell. c. 25. l. 6. Ludw. Diss. 8. §. 5.*

XII. Oportet substitutionem pupillarem fieri nominatim *Filius meus heres esto si filius infra pubertatem decesserit Sejus heres esto* vel generaliter quando pluribus heredibus institutis Testator filio ita substituit: *Quisquis Mibi heres erit, idem filio meo impuberi heres esto.* ita tamen ut pater sibi prius deinde filio Testamentum faciat *S. 6. j. d. pup. Subst. sicut* heres purè vel sub conditione institui potest sic quoque substitui *l. 8. π. d. V. & P. S.* sive id singulis fiat liberis, vel ei qui novissimè impubes morietur, singulis si testator Neminem voluerit decedere intestatum hoc modo. *Primus heres esto si primus heres non erit, vel si erit, & intra pubertatem moriatur secundus heres esto, si secundus heres non erit tertius heres esto.* Ex quò Testamento deficientium hereditas superstilibus accrescit. Propter diversum modum substituendi hæc pupillaris dividi solet in expressam & tantam. Expressa fit verbis specialibus in secundum casum, expresse directis: ut est *si filius meus Sempronius heres Mibi erit & in pupillari ætate post mortem meam decesserit Lucium ei substituo.*
Tanta

Tanta est quæ tantum subintelligitur ex interpretatione voluntatis, seu potius ex vi & potestate Legis præsumptis talem fuisse voluntatem testatoris, ut qui filio impuberi substituit in vulgarem casum si heres non erit, intelligatur etiam tacite substituisse in casum si heres erit & pubes nondum factus decesserit *l. 41. d. V. & P. S.* Hic quæ an tam tacita quam expressa pupillaris matrem excludat? Quod affirm. per *l. 45. d. V. & P. S. l. 8. §. 5. π. d. inoff. Testam.* Neque obstat matrem à liberis præteritam ex jure *N. 115.* hoc sibi habere præcipuum ut possit Testamentum evertere; licet enim matri negari nequeat hoc beneficium quoties à liberis præterita vel sine causa exclusæ est, negari tamen potest si non liberi sed eis Pater Testamentum faciat *l. 8. §. 5. π. d. inoffic. Testam.* qui non modo nomine & loco liberorum duntaxat, sed jure proprio & ex personâ suâ vi scilicet P. P. testatur *Viglius ad §. 1. j. d. t. Bronchorst cent. 3. assert. 34.* Quoad tacitam dissentiunt *Fachin. lib. 4. c. 40. Harpr. ad pr. j. d. pup. Subst. n. 45. & alii Dd. nempe Alex. in l. f. C. d. Instit. & Substit. Covarr. in c. Raynutius §. 4. n. 6. Cujac: 12. o. 27.*

XIII. Obstat videtur textus expressus in *l. Lucius 45. π. d. V. & P. S.* secundum hanc hereditas ad matrem & non ad substitutum venit potest enim hæc lex tum de diversa materia in quâ nempe filio naturali intelligi, in quô aliquid speciale quoad pupillarem substitutionem & matris successionem invenitur quia isti vel incertum vel plane nullum habere patrem intelliguntur *l. 23. π. d. Stat. hom:* nec in eorum personâ duplex substitutio locum habere potest. Neque obstat *l. 8. C. d. Imp. al. Subst:* in quâ aliquid speciale in militis Testamento, cujus nuda voluntas simplex & prout verbis expressa, non ut à Lege intellecta est, consideratur *l. 6. C. d. Testam. mil:* Nec denique obstat *l. ult. C. d. Inst. & Subst.* in quâ casus prorsus singularis de patre qui cum matre posthumum heredes scribit & in casum si posthumus natus non sit Mævium heredem esse vult, in hoc casu posthumo, matre superstite, mortuo, non Mævius sed mater succedit, quæ coheres instituta ad luctuosam filii hereditatem vocata esse præsumitur. Multo minus ad sentiendum *Bocero in Disp. d. Subst. v. 28. per l. 30. & 32. C. d. inoff. Testam: Nov. 1. in pr. & N. 132. c. 19.* affirmanti matrem alio remedio vel familiæ Erciscundæ judicio utili, vel Conditione ex Lege Legitimam suam petere posse, quia Leges quoad legitimam

gittimam relinquendam Liberos sed non patrem in prædicto casu
stringunt *l. fin. arg. ducto à contrario sensu l. 8. §. 5. π. d. Inoffic. Te-
stam.* quoties enim pater filio impuberi in alterum casum substituit
in utrumque substituisse censetur, eoque ipso mater à Legitimâ ex-
cluditur *Bronch. Cent. 3. ass 37. Viglius ad pr. j. d. Pup. Subst. n. 17.*
De Jure verò Saxonico hoc immutatum nec de eò Legitima matris
per substitutionem adimi potest; *Constit. Elect. Aug. p. 3. c. 8. & ad
eam Carpz. Schultz. in Synops. j. h. t. lit. b.* quod etiam Nos hic in
Prusliâ sequimur.

XIV. Ad exemplum Substitutionis pupillaris introducta est
quasi pupillaris, quâ parentes liberis mente captis substituunt in eum
casum si heredes erunt & in infirmitate deceserint, vulgo exempla-
rem appellant quia ad exemplum pupillaris introducta *§. 1. j. d. P. S.*
sed malè; quia & peculium ad exemplum castrensis introductum
non exemplare sed quasi castrense appellatur. *Donell. l. 6. c. 23.* sub
mente captis comprehenduntur furiosi *arg. l. 17. D. Qu. test. fa. po.*
& qui eis comparantur prodigi *arg. l. 12. §. ult. π. d. Tut. dat.* non
etiam muti & surdi quibus absque permisu Principis non rectè substi-
tuitur *l. 43. d. Vulg. & Pup. Subst.* quia jus singulare ad alios casus ex-
tendendum non est *l. 73. §. 3. π. d. Fidei C. Libert.* nec morbus surdi
vel muti est animi sed corporis, qui si scribere possunt sibi ipsis possunt
facere Testamentum *l. disertis C. Qu. Testam. fa. poss. in Parat. C. d.*
Impub. & al. Subst. Vasqv. illustr. controu. 37. n. 9. Vultej. ad Rub. j.
d. V. & P. S. Donell. 6. c. 38. Disf. Coras. in l. humanitatis. n. 11. C.
d. Impub. & al. Subst. Gome: 1. resol. 6. n. 3.

XV. Substitutio privilegiata seu irregularis quæ & compen-
diosa dicitur est potiùs modus quidam inducendi alias substitutiones
quam distincta Substitutio, plures enim sub verborum compendiò
continet substitutiones propter plura tempora differentes, quam ut
rectè explicet multa hic subjicit *Covarr. in c. Raynutius §. 9. d. Te-
stam.* Hæc Substitutio ut totum quoddam collectivum constat ex
vulgari & pupillari Substitutione e. g. *Titum filium meum instituo
heredem, eiq; quandocung; sine liberis deceserit substituo Cajum.*
Huc refertur etiam substitutio quæ breviloqua seu reciproca dicitur,
quando plures unâ verborum conceptione ultrò citroque instituuntur
& sibi invicem substituuntur. Continet hæc duas vulgares quando
duo

duo extranei instituuntur & sibi invicem substituuntur, duas pupillares cum sit duobus filiis Exheredatis, duas Fidei Commissarias quando sit liberis puberibus institutis in Codicillis, duas pupillares & vulgares simul quando sit duobus filiis impuberibus in potestate existentibus, quia pupillaris expressa tacitam vulgarem in se continet *Corv: ad tit. j. d. pup. Subst:* Hac specierum Substitutionis multiplicatione & innumerabilium tum formularum tum casuum fictione plurimi Dd. hanc materiam alias perspicuam reddiderunt intricatam, quæ denuo facilis redditur, quando vera divisio Substitutionis in vulgarem pupillarem & quasi servatur eoqve ex formularum conceptione diversæ referuntur & quicquid ad aliud Substitutionis genus spectat ab hac materiâ prorsus removetur.

FORSTERUM, doctos jam conscendis-
se cathedras,
Mens mea lætatur, cunctaqve fau-
sta vovet.
Te commendando summis, expecto
futurum,
Magnam, facturum Te, tibi hono-
ris aram.
Ede frequens rogo magna specimina
mentis acutæ,
Sic FORSTERE tibi laus erit alta
comes,
Cum

Cum tandem felix poteris contingere
metam,
Præmia multa feres, Teq̄ve mane-
bit honor.

Hisce musis tuis gratulabundus
asurrexi

JOHANNES HEINRICUS
ARNOLDI, Inst: Pr.



Kc 3004


ULB Halle
003 757 714

3



Bitte nach Ausleihe an
Frau Richter. 1
Sammelbd. ? oder
Inhaltliche Werte ?

von 125



B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

N. J.
ATIO IX.
TARUM
SIMUM
RTI & CON-
VERSI
est perm. fa. test. d. Ex-
stit. d. vulg. Subst. d. pup.
is π. C. J. Th: βασιλικ.
pendentibus.
QUAM
ESIDE
CHRISTO.
O Volk/
D. & P. P.
FORSTERUS,
liâ - Prusus.
NDENS
e defendet
RIO MAJORI
oc. LXXXI.
OMONTI.
EUSNERIANO,